Jagell.

Ord.

1698 22 Martii. Poezya 2942.

Gołęjowicz Stanisław: Pleias laureata in virtute et honore VII. VV. DD. primae laureae Candidatorum refulgens.

PLEIAS LAUREATA

Jn Virtute & honore

VII. VV. DD. Primæ Laureæ Candidatorum,

REFULGENS.

Et dum

In Alma Vniversitate Studij Generalis Cracoviensis,

PER

Excellentissimum, ac Doctissimum Dominum

D. M. IOANNEM GRYMECKI,

Philosophiæ Doctorem & Professorem,

Collegam Minorem,

Jn Nobilissima Jllustrium Hospitum Corona,

ARTIUM & PHILOSOPHIÆ BACCALAUREI,

Ritu Solenni

RENUNTIARENTUR:

Amoris & gratulationis ergò,

A

STANISLAO GOLEIOWICZ,

Ejusdem Laureæ Candidato,

PRÆSENTATA.

Anno Salutis 1698. Die 22. Martij.

Typis Francisci Cezary, S. R. M. Illustrissimi ac Reverendissimi Dñi Episcopi Cracoviensis Ducis Severiæ, necnon Scholarum Novoduorscianarum Typographi.

Plejades incipient humeros relevare Paternos
Quæ ſeptem dici, ſex tamen eſſe ſolent.

Ovidius 4. Faſtorum.

Altera ſe oſtendit redivivo Plejas honore
Et nitidum obſcuro protulit axe jubar
Quod neq; barbaries, nec ſævi nubila ſæcli
Temporis aut valeat comminuiſſe furor.

Quidam.

PERILLVSTRI & ADMODVM REVERENDO DOMINO,

D. LVDOVICO SIGISMUNDO WAŁKOWIC,

DECANO KIELCENSI, CVRATO OPATOVECENSI.

Publico Sacrâ Authoritate Apostolicâ & Actorum Curiæ Episcopalis Cracovien: Notario.

Domino ac Mecænati Colendissimo.

PLEJADEM rudi adhuc carmine Cælitùs evocatam Tibi laureatam sisto, ut extorrem sine lare, in gratiarum sinum accipias; Perillustris & Admodùm Reverende Domine. Evocari verò illam ex Aula Syderea in terram posse, non est paradoxum: siquidem;

Carmina vel Cælo possunt deducere lunam.

Tantus verò est Nominis Tui & Virtutis splendor, ut illi famulari, ipsæ etiam Stellæ obsequij gloriam ducant; cujus purum illimemq; eruditi & cultissimi pectoris candorem, TRZEBICIANUS quondam Olor velut suum dilexit: hodie Augustior

 Celsissimi

Celsissimi Principis Illustrissimi & Reverendissimi Domini IOANNIS MALACHOWSKI Episcopi Cracoviensis, Ducis Severiæ Fascia, vulnerum languentis Patriæ, dulce & salutare vinculum, gemmeis gratiarum Principalium compedibus arctiùs stringit. Quidni mirùm sit, in venerationem Tui Nominis Sydera descendisse desuper! si magnum Cælitum decus Astræa, quæ olim terras fugisse narratur; in Tuum Divini humaniq; juris intelligentem animum è Cælo redijsse videtur, in quo Oracula Divæ Themidis & responsa quàm spirat tàm loquitur. Tanta est sapientiæ Tuæ & eruditionis celsitudo, ut si Musæ etiam suas sedes in firmamento haberent, Tuæ humanissimæ mentis genium invisere, non renuerent sed optarent: apud quem libentiùs ipse literatorum Deus Apollo hospitari, quam apud Admetum vellet. Quapropter tanta dulcedine percussus, illam Phæbea lauro redimitam PLEJADEM Tuæ beneficentiæ venerabundus præsento, pro qua gemmeos abundè Ipse fudisti sudores, eaq; conspicuus ac venerandus, multa digna Phæbo exegisti, ære perenniora monumenta. Vergiliæ sunt, tempora veris, id est annorum & honorum longum sine nube serenum, Tibi Amplissimo Patrono nuntiant, Tu tantùm pande protectionis Tuæ sinum advenientibus, meq; quo cæpisti favore & patrocinio prosequere. qui sum

Vestræ Perillust: & Adm: Rñdæ Dominationis.

Humillimus Cliens.

STANISLAVS GOLEIOWIC,
Primæ Laureæ Candidatus.

D. IOANNI CANTIO,
Regni Poloniæ
PATRONO,
Cæli Academici Athlanti Maximo, Plejadis Laureatæ Patri ET PATRIARCHÆ.

CARMEN VOTIVUM.

QValis Athlantiadum lampas septena sororum
Nubibus in densis, etiam inter fulgura, nimbos
Erigitur. Talis pulchro se lumine promit,
Rebus in afflictis, & cæca nocte malorum,
PLEIAS vere novo Lauros habitura virentes.
Tu modò Sancte Pater, præclarum lumen Olympi,
Quo lucente redit splendor Lucis Academi,
Altiùs & surgit palmis, sua laurea Phæbo,
Rite fave cæptis, noster nove Cælifer ATHLAS.
Desinet insurgens fluctu nimbosus Orion
Insultare novis, quæ Tu benedixeris astris.
PLEIADES incipient æterno vere rubentes
Flores, ingenij partus formare decoros,
Per juga Parnassi; geminos tollentia colles
In Cælum; qua parte micant Tua sydera CANTI;
Aurea dona Dei, nostris mittentia Musis.
Inde fluunt Aganippæis potiora fluentis
Flumina, vernantes circum fundentia lauros,
Palmas atque Rosas, florentibus apta Coronis
Ornamenta; furens quæ nunquam decutit Auster.
Hoc permitte decus, nostrûm benè vota coronet,
Maxima Doctorum, quoniam Tu & prima Corona.

Clarissimis & Excellentissimis Dominis,

DD. EXAMINATORIBVS,

Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino.

D. M. GASPARO BENEDICTO KAWALCZEWSKI,

Philosophiæ Doctori, Collegæ Majori, Regio Professori, S. Annæ & SS. Omnium Canonico, ac interea Philosophicæ Facultatis

DECANO.

Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino.

D. M. MARTINO BIELECKI,

Philosophiæ Doctori, Collegæ Majori, Regio Professori, S. Annæ, SS. Omnium, & Tarnoviensi Canonico.

Clarissimo & Excellentissimo Domino,

D. M. JOANNI GRYMECKI,

Philosophiæ Doctori, Collegæ Minori.

In argumentum debitæ gratitudinis & Observantiæ, Eruditæ Minervæ septenario numero à Pitagoreis designatæ speculum Cristallinum, cujus adminiculo Persæus Gorgones decolavit.

CVM LEMMATE.

Ter quaterq; beati vivite.

SI quid jocosi carminis entheo,
Et blandientis pectine barbiti,
Inter Camænarum nitores
Sacra valet tua Phæbe dextra
Si quid recurvo pollice dignius,
Fundis sereno Pieridum choro;
Murmur sonantis dum reclamat
Castalij per aperta fontis.

Nunc

Nunc tende nervos, & modulamina
Modis adapta non popularibus
Dum ternio pulcher virorum
Non modico celebranda cultu
Trophæa laudum pulchriùs ingerit.
Virtutis ampla fulgor & aureum
Ostentat, excelsamque mentem
Dat tenui resonare buxo.
O qui in serenæ lumine purpuræ,
Magni Sophorum nomina Principis
Æquas: KAWALCZEWSKI sonoro
Quam resonat Tua facta plectro,
Murex rubenti quem geris in Toga,
Labore non est Sydoniæ manûs
Tinctus, sed hanc frontis cruento
Diluvio decoravit imber.
Prô quanta vidi prælia, jurgijs,
Immixta doctis: dum Stagyriticos
Inter tumultus, & duella,
Doctiloquo Tuus ardor ore
Magni referret munera Principis.
Abstrusa veri lumina protinus
Fulsêre detectaque nube
Largiflua micuêre luce.
Sed quid diserti spiritus eloquîj
Valeret in Te, vidit amœnius
Sacris in Exedris stupenda
Arte Tuæ populus loquelæ.
In Te Senatus nunc Iagelonius
Vidit capacis munera pectoris,
Curis habenas dum trecentis
Vltrò Tibi dederit regendas.
Te quem serenis fama jugalibus
Latè meanti portat in essedo,
Quæ metra BIELECKI valebunt,
Composito celebrare plausu?

Tibi superno pervigil è tholo
Minerva doctis divitiis caput
Implevit, & pectus decorum
Non solito cumulans paratu
Formavit apto pollice Gratia,
Huc Tulliani flumina nectaris
Infudit & linguæ decorem
Castalio priùs amne lavit.
Tu dum sonoro depluis alveo
Victor Cathedris, ipsæ Aganippides
Siccata Parnassi fluenta
Atq; suum perijsse fontem
Mirantur: aût cum remigio Tuæ
Pennæ Lecheos tendis in ambitus
Aût inter iras eruditas
Egregios ruis in calores.
Nec Te GRYMECKI laudis adorea
Minor, trophæis condecorat suis,
Virtutis exemplar probatæ
Quam meruit probitasq; vitæ.
In Te refulget uis sapientiæ
Multùm Cleanthêis lucida noctibus,
Pulchroque resplendent honesto
Non humilis bona celsa mentis.
Seû bella doctis concita litibus
Inter Sophorum conseris agmina
Gratum loquendi seu leporem &
Dulciloquum ruis ore, nectar
Ubiq; uictor. Te Iagelonia
Honoris ampli, Regna scientiæ
Spectant coronandum decore
Fama suis vehet in quadrigis.
Ergo in corusco, jam speculi vitro,
Perseûs trophæis quod decorat suis,
Virtutis excelsæ nitores
Nunc videat benè quisq; Vestræ.

Vestro

Vestro serenis secula curribus
Litent honori, Nominis inclyti.
Rectorq; Cælorum benignus
Det rutilos sine nube soles.

P L E J A S
L A U R E A T A,

Singulorum Planetarum Animas, viresq; Divinas ex Commentarijs Procli, D E S I G N A N S.

I. V. D. PAVLO CYBVLSKI.

CELÆNO, quam Proclus Saturni Animam dixit, prudentis eloquij, & Philosophici studij Symbolum esto.

C V M L E M M A T E:

Pulcher ex utroq; triumphus.

AVrea Saturni messis, palmæq; decoræ;
Prudens eloquium signant & docta Stagyræ
Argumenta Tuæ; queîs Te Divina CELÆNO
CYBVLSKI decorat primum, mentemq; capacem
Amborum censens; pulchros utroq; triumphos
Spondet. namq; Tibi rident vis aurea Tullî,
Atq; Sophûm pugnæ, signisq; minantia signa.
I bone, quò Tua Te Virtus vocat, indole felix,
Et præstans animi: qualem Tibi finxit Apollo.
Et melior Natura dedit. natalibus orto
Præclaris, præstò monimenta favoris
Sunt magni; verùm præstat, virtute triumphes.

II. V. D. SIMONI ŁACKI.

STEROPE, Sphæræ Iovis anima, entheum Poëseos vigorem, & arcana Philosophantium reserat.

C V M L E M M A T E:

Dextro Iovis sidere felix.

C Quis-

*Q*Visquis *Pierios pectore vivido*
Exambit latices, nobile mentibus
Oestrum nobilibus: quas amat & magè
Dexter Iuppiter entheat.
Cyrrhæ musta bibat sub Iove prospero
Natus. quem STEROPE *conciliat Tibi,*
ŁACKI, *laurigero munere fortior*
Fundes Pegasium melos.
Felix ingenio, si modò junxeris
Prudens judicium dotibus inclytis;
Majores referes ex Cathedris Sophûm
Phæbo judice laureas.

IV. V. D. PETRO KEMPSKI.

ELECTRA Solis, nobiles ex victrici eloquio Palmas, claritati generis adiungit,

CVM LEMMATE.

Nobiliore vena finxit præcordia Titan.

SYdera clara Polo fulgent errantia septem,
Inter, Sol medius, cætera luce regit.
Sol Princeps Astris, in quo Tua Numina Phæbe
Musarum Præses pectora docta colunt.
Vivum pande sonum, KEMPSKI, quem sistit amori
Diva ELECTRA Tuo; lumina Vestra petens:
Vt medius medium claris natalibus ortum
Lumine facundo, Clariùs ipse bees.
Corde hæsit toto dicendi gratia vivax,
Atq; Demostheneo victor in ore lepos.
Macte animo, KEMPSKI, roseo facundus in ore,
Iam innumeras palmas eloquio numeras.

V. V. D. CHRISTOPHORO MICHAŁOWSKI.

ALCIONE. Auroram Musis amicam, in dolis omnium bonarum Artium capacis indicium exhibet.

CVM LEMMATE.

Hac duce Musarum luce clarefces.

Æterna

Æ Terna magni gloria Nominis
Extollet illum, cùi facies nitet
Fulgentis auroræ serena
Restituit nitidosque soles.
Aurora docti sic Tibi prodroma
Honoris ortus pandit, & atria,
Quæ propter æternùm virentes,
Dælius ipse parat coronas.
Ergo, MICHAŁOWSKI, ALCIONE Tibi
Rubente pulchros ore feret dies,
Hac luce clarefces Lycæo,
Thespiadum decus & corona.

VI. V. D. VALENTINO PILSKI.

TAYGETE, Lunæ vim beneficam, virtute nixam cum fandi copia præsentat.

CVM LEMMATE.

Solidæ virtutis non imagine Lunæ.

N Escit sola vices condita gloria
Virtutis merito, sydere pulchrior.
Quod nocti radiat lumine non suo.
Fortunæ radij cornua lucida
Lunæ: sic variant? & tamen heû dolor!
Vt Titan feriunt ardua mentium.
Taygete vicibus sat benè Cynthiæ
Virtus adstruitur; Mater ut audiat
Influxu renovans, quæ pereunt vice.
Hæc Te Diva potens crescere maximis
Præstet muneribus, quæ sapientia,
O PILSKI, solidis ornat honoribus:
Vis præclara Tuæ dosq; scientiæ
Virtute eloquij præmia proferet.

VII. V. D. SIMONI OLCHAWSKI.

Merope, Martis facultas, Masculum & pugnax dicendi, vincendiq; genus promittit.

CVM LEMMATE.

Fortisq; viri feret arma disertus.

Bella procul Martis, sævi monumenta laboris!
Sanguine nam Vestri constant & cæde triumphi,
Triste sonant! multisq; mori succurrit in armis.
Mitior est pugnæ facies pro Palladis arce,
Victores victiq; sua de sorte triumphant,
Cædes nulla viris: melioribus pulchra trophæa.
Vir sapiens fandiq; potens, ad Pergama Troiæ
Plus valet, ut Nestor quamuis non præstet Achillem
Ingentem bello, præstat sed consilij vi,
Non Aiax tulit arma Patris, sed victor Vlysses
Eloquio. MEROPE concedens hanc tibi palmam,
OLCHAWSKI, palmare decus virtutis & artis
Ostendit, quæ dona feres præclara disertus.

III. V.D. STANISLAO GOLEIOWICZ. Authori Operis.

MAIA, Mercurij, ad omnia Musarum munera, promptum paratumq; ingenium cum præcipua eloquij gloria donat.

CVM LEMMATE.

Vivum spirant præcordia Phæbum.

Applaudente mutui affectûs & gratulationis ergò,

PETRO KEMPSKI,
Ejusdem Laureæ Candidato.

Descende Cælo, fac age mentium
Serena Syren, dulceq; vinculum,
Facunde Majæ nate, Divûm
Fata vicesq; gerens diserto
Lepore fandi, dulcibus alveis
Effunde nectar, totaq; vis Tua
Exundet in pectus decorum,
Ore potens, Cytharâq; Phæbi.
Descendat, & Te Sydereas plagas
Linquente linquat Melpomene, Charis,
Omnisq; concentus Dearum
Concelebrent geniumq; vatis.

Nostri

Noſtri vovent ſic GOLEIOWICZ Tibi
Vates, Corymbis digne perennibus
Plauſus ſonori, plauſuum quos
Dulciſona Chelij prouocaſti.



SVB FELICISSIMIS AVSPICIIS,

Magnifici, Perilluſtris & Admodùm Rndi Dni,

D. M. CHRISTOPHORI SOWINSKI,

Sacræ Theologiæ Doctoris & Profeſſoris, Collegæ Majoris, Eccleſiarum Collegiatarum, SS. Omnium Præpoſiti, ad S. Florianum Decani, Cancellarij Poſnanienſis; Cuſtodis Pilecenſis, Curati Proſovicenſis; S. R. M. Secretarij, Contubernij Philoſophorum Proviſoris, Studij Almæ Vniverſitatis Cracovienſis, GENERALIS, ac VIGILANTISSIMI RECTORIS.